



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

VII. De libertate in actu secundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

13 Dico octauo. Si obiectum talis sit naturæ vt naturaliter amari nequeat, potest dari naturaliter circa illud pura libertas contradictionis sine libertate contrarietatis. Sic conclusionem proba: Supponamus bonitatem Dei amari non posse naturaliter sine cognitione supernaturali, tunc proponatur Deus homini sub aliqua ratione, qua illud apprehendat vt malum sibi, & proponatur in se bonus per cognitionem naturalem; tunc talis homo physicè erit liber ad odium Dei, & negationem illius, quia habet cognitionem inclinantem ad odium & cognitionem, qua Deus illi representatur vt bonus, quæ sufficiens est vt possit hominè retrahere à tali odio, quia licet cognitio naturalis Dei non sufficiens sit, vt Deus ametur, quia illius bonitas amanda est amore supernaturali, qui à cognitione supernaturali dependet, tamen sufficiens esse poterit vt voluntatem retrahat ab odio Dei, quia talis retractio non est supernaturalis, ac proinde non dependet à cognitione supernaturali; non tamen talis homo poterit amare Dei bonitatem, quia supponimus non posse dari hunc amorè sine cognitione supernaturali, & hominem tantum esse naturali cognitione præuentum. Hæc conclusio tantum est condicionalis ex eo quod sit obiectum aliquod quod naturaliter amari nequeat amore naturali: an verò Deus, in quo potissimè hæc ratio posset inueniri, si in aliquo obiecto esset inuenienda; amari possit adhuc vt bonus in se ipso amore naturali, alibi definiendum est, sufficit modo ad naturam libertatis cognoscendam hanc conclusionem conditionatam tradidisse.

14 Ex his constat libertatem contrarietatis semper esse circa obiecta formaliter distincta, quia est inter actum amoris, & odij, quorum vnus bonitatem, alter malitiā respicit, non tamen requirere distinctionem materialem obiectorum, quia circa idem obiectum materiale voluntas est indifferens ad amorem, vel odium. Constat similiter libertatem contradictionis non esse circa obiecta adhuc formaliter distincta, sed inter actum, & non actum, ex quibus extremis actus respicit quoddam obiectum, negatio verò actus nullum respicit obiectum, sed tantum est negatio tendentiæ circa idem obiectum, circa quod tenderet actus, ac proinde in libertate contradictionis neque positio neque negatio connotatur duplex obiectum materiale, neque formale, sed vnum simplicissimum.

PUNCTUM VII.

De libertate in actu secundo.

1 Dixi libertatem in actu primo, seu principium liberum in actu esse voluntatem, ita constitutam vt habeat omnia requisita ad operationem, cum quibus indifferens maneat ad operandum, & non operandum. Hac definitione supposita facile erit explicare quid sit libertas in actu secundo, omnis enim actiua virtus ad actum secundum reducitur per suam actionem, & libertas in actu secundo erit principium illud liberum in actu primo cum sua actione, quæ erit formaliter actus secundus, qua liberum in actu primo constituitur in actu secundo. Actionem hanc esse volitionem certum est in mea sententia constituyente actionem vitalem in ipso actuali influxu indistincto à termino. Reliqui qui totam rationem actionis vitalis constituunt in termino ab actione distincto tenentur dicere rationem vitalem, videlicet volitionem, desumere totam suam libertatem ab actione, in qua consistit tota determinatio principij potentis operari, & non operari.

2 Libertatem in actu secundo consistere in actione existimo esse per se notum, in quo enim constituendus est actus secundus virtutis actiue nisi in ipsa actione per quā formaliter id quod erat potens efficere, efficiens constituitur? Rationem per se notam expendo: liberum in actu primo est quod potest operari, & non operari: ergo in actu secundo liberum constituitur per exercitium talis actus primi, seu potentie: sed hoc exercitium est ipsa actio; ergo in hac constituenda est ratio actus primi. Primum antecedens est definitio libertatis ab omnibus doctoribus tradita, prior consequutio est euidentis; secundum antecedens, seu minorem, quæ tacitam minorem supponit sic proba: illud est exercitium potentie, per quod formaliter constituitur efficiens id, respectu cuius est potentia; & per quod formaliter se exercet, & tribuit esse effectui, sed principium po-

tens operari constituitur operans per id respectu cuius est potentia, & se formaliter exercet, tribuitque esse effectui intra se contento per actionem: ergo actio ipsa est actus secundus huius actus primi.

3 Confirmatur. Per actionem constituitur voluntas operans: ergo si ad actionem voluntas supponitur potens operari per actionem constituitur operans effectum quem potuit non operari.

4 Neque in hac operatione constituenda est aliqua relatio, seu accidens superadditum, per quod constituitur in actu secundo libera, quia omni superaddito clauso est determinatio actus primi, & illud constituit in actu secundo, & per nudam actionem virtus quæ antea erat actiua dicitur iam formaliter efficiens: ergo ante omne accidens superadditum actio determinat virtutem actiuam. Confirmatur: Per illud reducitur virtus actiua ad actum secundum efficiendi, per quod constituitur efficiens: sed virtus actiua constituitur formaliter efficiens per actionem, & non per aliquod actioni superadditum: ergo per actionem & non aliud accidens superadditum reducitur ad actum secundum virtus actiua, seu principium potens operari, & non operari.

5 Confirmo eandem conclusionem. Nullum est accidens superadditum per quod possit constitui volitio potens existere & non existere, quia nullum est accidens per quod constituitur libera in actu secundo. Probo antecedens. Omne accidens inherens subiecto supponit illius existentiam: ergo non potest illud constituere potens existere, siquidem ante illud est iam non solum potentia ad existendum, sed etiam ipsa existentia. Deinde negatio existentie est necessariò independenter ab accidente superaddito, nihil enim potest non existere per aliquod illi superadditum, quia non existenti nihil superaddi potest: ergo neque potentia ad existendum, neque ad non existendum potest conuenire volitioni per accidens superadditum: ergo indifferencia ad existendum, & non existendum, in qua consistit libertas non potest consistere in accidenti superaddito. Stat iam libertatem in actu secundo nihil aliud esse præter libertatem in actu primo, cum actione, qua formaliter constituitur in actu secundo voluntas efficiens tanquam per actum secundum actus primi liberi. Restat modo examinare; An hæc actio libera in actu secundo, formaliter per suammet entitatem libera constituitur, ita vt eadem necessaria esse non possit sed aliquid speciale habeat actio libera, per quod distinguatur à necessaria, & è contrà: An verò actio voluntatis extrinsecè libera dicatur à principio indifferenti, ita vt eadem actio, quæ modo est libera, potuerit antecedenter in eodem instanti esse necessaria, & possit transire de necessaria in non liberam, & è contrà, quam difficultatem dissoluet punctum sequens.

PUNCTUM VIII.

An ratio liberi sit actioni intrinseca.

1 Explicui punct. præcedentis tituli difficultatem, circa quam duplex est opinio. Prima defendit libertatem esse intrinsecam actioni, hanc defendit Hurtadus disp. 15. sect. 6. suble. 2. cum paucis ex vetustioribus Thomistis, quos citatos inuenies apud Vasquez, & Salas, quos modo dabo. Secunda sententia asserit libertatem esse extrinsecam actioni voluntatis modo suprà explicato: hanc defendunt Vasquez 1.2. disp. 34. cap. 3. n. 15. & disp. 55. cap. 3. n. 12. Soar 1.2. disput. 1. de voluntario, sect. 3. num. 18. Salas 1.2. quæst. 18. tractat. 7. disputat. 2. section. 5. & 6. Arriaga disput. 8. sect. 4. suble. 4. & communiter ferè omnes nostri Doctores.

§. I.

Propria sententia.

2 Libertatem esse extrinsecam actioni proba ratione à priori desumpta ex natura libertatis, & definitione libertatis in actu primo, & in actu secundo. Actus liber est ille, qui provenit à principio indifferenti ad illud efficiendū, & non efficiendū: sed est extrinsecū huic actioni provenire à principio cū hac indifferencia constituto, & provenire potuit à principio determinato ad illum: ergo huic actui est